



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XVIII. Quid sit Honor, Laus, Gloria? quantum bonum? & æquè istud
bonum improbis, ac probis contingere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Dan. 4. 24.
Luc. 16. 9.

S. Gregorius
Naz. orat. 16.
de pauperum
amore.

extinxisse: Non disputo cuius hoc ope acciderit. Illud hinc diu-
ti suadeo: *Peccata tua eleemosynis redime.* Et iterum, *ô diuites, facite*
vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant
vos in aeterna tabernacula. Nam, vt S. Gregorius Nazianzenus lo-
quitur: *Nullus cultus Deo perinde gratus est, vt misericordia erga*
pauperes. Nam primò, *Deus vult quosdam esse pauperes, vt nos infirmi-*
tatis nostra submoneant. Secundò *pauperes inuandi sunt: quia fratres*
nostri sunt, tum natura; tum imaginis Dei in Christo renouata; tum
fidei, spei, dilectionis, & adoptionis diuina, tum vite beata respectu. Ter-
tiò, *quia ad Christum communem fratrem aspiramus.* Quarto, *quia*
cum nihil sit stabile in presenti, de opibus per pauperes in tuto collocandis
est cogitandum. Quintò, *ob infinita huius rei commoda, quae ad triare-*
uocari possunt, scilicet ex malo praeseruatio, salutis certitudo, promi-
rum maxima fiducia. Sextò, *quia Deus, qui innumera nobis contulit*
beneficia, iubet, vt pauca fratribus largiamur. Septimò, *nihil tam Deo*
proprium, quam misericordia & beneficentia, ille autem nobis imitan-
dus est. Octauò, *pauperes sub speciali cura & prouidentia latent, teste*
Scriptura. Nonò, *quia in die iudicij electi ob eleemosynas factas calo,*
reprobi ob eas neglectas inferno adiudicabuntur.

CAPVT XVIII.

Quid sit Honor, Laus, Gloria? quantum bonum? & aequè istud
bonum improbis ac probis contingere.

I.
Aristot. lib. 4.
Ethic. c. 3.

Idem 1. Ethic.
cap. 5.

S. Thom. 2. 2.
q. 103. a. 1. in
corp.

Honore externa atque fortuita hominis bona, *honor est ma-*
ximum, vt Philosophus testatur. Quod bonum etiam
ex diuitijs saepe confurgit, quemadmodum contemptus
ex paupertate. Non tamen est ille nexus ita necessarius, vt non
aliquando & opes dedecori sint, & paupertas honoretur. Quam-
uis vtrumque, & gloria scilicet, & ignominia alijs quoque varijs
ex rebus oriatur. *Honor* quippe ex mente Aristotelis proprie est
exhibitio reuerentia in testimonium virtutis, quae multiplex esse con-
suevit; seu potius si secundum vulgi iudicium, & latius loqua-
mur, *est testificatio de excellentia alicuius,* siue is excellat virtute, cui
honor praecipue debetur; siue sanguine, siue opibus, siue indole,
siue scientijs & arte, siue officijs, & dignitate, aut alijs titulis, qui
significant

significant domi belluæ, corpore vel mente excellentem. Quamquam enim nihil magis honore dignum est, quam vera virtus, qua sola homines *absolutè* boni sunt excelluntque, sunt tamen & alia, quibus *secundum quid* excellunt, & ob quæ honorantur, vt genus, & potentia, & scientia, & quæ modò memorauimus; quia & illis mortales excellunt, & de illis amant æstimari; quantumuis sæpe etiam falsa sint, & eorum laudes prorsus repudiandæ. *Tanta mentis in Deum debet esse suspensio*, ait S. Augustinus, *vt, si non meritò laudemur, corrigamus eos, quos possumus: ne arbitrentur, aut in nobis esse, quod non est; aut nostrum esse, quod Dei est; aut ea laudent, qua quamuis non desint nobis, aut etiam supersint, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia, qua vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impijs hominibus.* Nos vniuersim loquemur, de ijs rebus, quibus homines excellunt, & ob quas nomen suum fieri honorificum gaudent. Nam & profanarum artium magistri, & opum amatores celebres volunt haberi: & paucæ sunt feminae, quæ quantumuis deformes, tamen gloriam non captent, ex venustate, qua sese præditas arbitrantur. Subscribit nobis S. Thomas, cuius hæc sunt: *Nomen gloria propriè importat manifestationem alicuius de hoc, quod apud homines decorum videtur, siue illud sit bonum corporale aliquod, siue spirituale.* Itaque dum cupiunt homines honorari, testimonium suæ excellentiæ quærunt; quod vt reddatur coram Deo, qui inspector est cordium, sufficit esse testimonium conscientiæ: nequaquam autem sufficit, vt coram hominibus contingat. Vt enim homines illud intelligant, necesse est, testimonium per quædam signa externa declarari, verborum scilicet, vel factorum. Honorat enim alterum, qui eum laudat, hoc est, qui excellentiam eius ore, vel calamo explicat; itemque, qui factò, vt pilei depositione, capitis inclinatione, inflexione genuum, imaginis aut statuæ erectione, trophæis, arcu triumphali, aris, statuis, obsequijs, *accubitu*, aut sede primouè loco, vel etiam donis ac muneribus, & officijs, obuiatione, hospitiij oblatione, aut alio quocumque signo externo eum à se existimari, testificatur. Est igitur *existimatio* radix honoris, quæ si coram hominibus, per externa signa, declaretur, Honor solet appellari. Idcirco enim alterum vel verbis laudamus, vel alijs signis exterioribus ornamus,

S. Augustin.
ep. 64.

S. Thom. 2.2.
q. 132. 2.1.

Luc. 14. 7.

honoramus, quia testari volumus, bonam esse apud nos deo opinionem. Ex quorum utroque, verborum scilicet & rerum honore, tamquam effectus laudis atque honoris, *Gloria* existit. Ideo siquidem, quia alterius bonitati testimonium præbemus, clarescit bonitas illius in notitia plurimorum; atqui, ut D. Augustinus alijque docent, *Gloria, est clara cum laude notitia*, addit enim honori, velut lumen coloribus, claritatem.

S. Augustin.
lib. 23. q. 31.

II.

Hoc bonum autem, quamvis in existimatione ac judicio dumtaxat, quod quis de alio apud se concipit, conceptumque; quamcumque testificatione euulgat, soleat consistere, adeoque quamvis & hominum erroribus, & fortunæ casibus subiectum sit, maximi tamen fieri, quotidie experimur, & opibus longè anteferri.

Prou. 22. 1.
Ecl. 7. 2.
Plin. lib. 20.
cap. 24.

Melius est nomen bonum, ait Salomon, *quam diuitia multe: super argentum & aurum gratia bona*. Itemque: *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa*. Latiùs enim suauiusque se se boni nominis, quam opobalsami odor diffundit: neque potest cum eius pretio opopanax comparari. Tanti, in diuinis litteris, fit Honor. Perinde enim est, siue *bonum nomen*, siue *bonam famam*, siue *bonam existimationem*, siue *laudem*, siue *decus*, siue *honorem*, siue etiam *gloriam* appelles. Sæpe enim ista promiscuè vsurpantur. Quamvis autem hæc omnia sint extra nos, pertinent tamen ad nos, & sunt de nobis; cum honor, qui est in honorante, non sit, dicatur esse honorantis, sed honorati. Quemadmodum igitur virtus, aut alia quæcumque interna excellentia, est bonum, de quo gaudemus; ita & honor, qui est testimonium illius boni, est bonum, quo prouissimè afficimur & delectamur. Voluit nimirum & hac homines illecebra trahere Deus ad virtutem amplectendam; ut, si honor illis placeret, ad illam accederent, cuius præmiū est honor, & gloria, quæ ut Poëta loquitur, *immensum calcar habet*. Quod etiam Romani indicauerunt, apud quos, non nisi per ædem *Virtutis* ad ædem *Honoris* poterat perueniri. Quoniam autem debitum est bono & pulchro, ut manifestetur, juxta illud: *Neque accendant lucernam, & ponunt eam sub medio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt*, Deique summa est bonitas, excellentia & pulchritudo, idcirco Deo summus honor, summa laus, summa gloria debetur. Quo sensu Apostolus scripsit: *Regi sacule-*

P. Victor.
lib. de region.
urb. Rom.
Vide Panor.
mit. 1. de
reb. gest. Al.
fonsi
Matth. 5. 14.

1. Tim. 1. 17.

saeculorum immortalis, inuisibili, soli Deo honor & gloria in saecula saeculorum Amen. Soli Deo, quia vnus & solus est Deus, & solus per se, ac suam essentiam sapiens, bonus, laudabilis, &c. à quo tamquam fonte sapientia in omnes & Angelos, & homines, & reliqua creata bona deriuantur. Quare, etsi soli Deo honor & gloria diuina, ac laetrix cultus, non autem dijs gentium, non idolis, non vllis Angelis aut hominibus (præter Christum Deum & hominem) debeat; tamen alius inferior honor Angelis, & hominibus & ceteris creaturis non negatur, immo debetur, vt infra ostendam. Prout autem maior est in ceteras res bonitas à Deo sanctitasque, aut excellentia deriuata, maioribus dignæ honoribus esse iudicantur. Quemadmodum ergo Christus diuino cultu laetrix à nobis honorandus est, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter; vnde vox Angelorum, & animalium, & seniorum fuit: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem; ita Christi Mater, ob altissimæ dignitatis suæ excellentiam, hyperdulia; alij autem Sancti *dulia* solent honorari. Et mortales quoque in terris, tantò quique maiore sunt amplioremque honore digni, quantò maior in illis virtus, vel scientia, vel potestas, vel alterius cuiusque rei laudabilis excellentia agnoscitur.

Est auro maius pretium; debentur honores

Maiores semper maioribus.

Vt autem ea, quæ de summa honoris pretiositate disputat Chassan. p. 1. catal. confid. 2. non persequar, certè honorem inter res humanas maximum quid esse oportet, cum bonis, in virtutis præmium, quod vtrique maximum esse conuenit, exhibeatur. Hinc honor & gloria suapte natura grata incundaque sunt, & ad utilitatem quoque maxime valent, vt ait Aristoteles. Verùm, vt Sallustius animaduertit, gloriam & honorem, & imperium boni & ignauius aequè sibi exoptant. Si bonus, vera via nititur; sed ignauius, quia bona artes desunt, dolis atque fallacijs contendit. Et vtrique sæpe, quod exoptant, assequuntur, Hinc querelæ: hinc varix in mentibus hominum existunt turbationes. Sæpe enim, vt D. Augustinus ait, dilectionem honor sequitur, & honor maximus inuidiam suscitatur, vt apparuit in Daniele, quem rex Darius Astyagis filius honore,

Luc. 18. 19.

Coloss. 2. 9.

Apoc. 5. 12.

III.

Aristot. lib. 1. Rhetor. c. 6. Sallust. in Catilin.

S. Augustin. lib. 2. de mirabil. S. Scripturæ. c. 32.

ceteri autem Medorum & Perfarum Principes odio atque invidia sunt profecuti. Sæpe videntur honorari, qui non videntur honore digni; sæpe, qui palam mali sunt, gloria abundant: vt enim illorum virtus in occulto est; ita istorum vitia in oculos omnium incurrunt. Quamobrem sunt, qui æquè mirentur illos, atque istos honoribus cumulari, cum perinde illorum dignitas nesciatur, ac constet de horum indignitate. Antisthenes interrogatus,

Laërt. lib. 6.

Quares portenderet ciuitatibus exitium? Quando in his, inquebat, nullum esse potest honorum ac malorum discrimen. Sentiens eam Remp. non posse consistere, vbi nec esset honos virtuti, nec pœna scelerosis. Quo modo ergo Mundi totius Respublica consistit, in qua improbi pariter ac probi honores, vel ignominias reportant? Si ob denarium

Matth. 20. 32.

murmurarunt illi dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus; an non potiorrem habent causam exoptulandi, qui vident, honorè malos non minùs ac bonos adipisci? Cur ista permittit mundi Gubernator? quid simius in purpura, rex in centone incedit? An non Anaximenes dicere solebat:

Plutarch. in
Apoph.
Ierem. 12. 1.

Qui rectè facta dictaq; nullo neque præconio, neque honore dignantur, quem oro fructum ipsi ex suis benefactis sperare audebunt? Et Cato, qui virtutem honore suo fraudarent, eos dicebat, ipsam virtutem à iuuentute auferre. Quare ergo via impiorum prosperatur? & toties indignus amplissimis honoribus extollitur, dignus de gradu suo deicitur, vel indignus esse iudicatur? Ita dum superbit impius, incenditur pauper. Quoniam laudatur

Psal. 9. 3.

peccator in desiderijs anima sua, & iniquus benedicitur. Iustus autem

Psal. 30. 4.

quid fecit? His talibus querelis antè, quàm ordine occurram, dispiciendum est, num, & quomodo Honor appeti possit? Si enim cum appetere non licet, quo modo fas est, de eo cum Numine exoptulare? Cùm dissonum sit, bonus cantor, bonus cupediarius; quàm erit absurdum, si quis malum cantor, & bonus cupediarius dici a-

diatur?

